



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Sipontino Archiepiscopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

268 Epistolarum Innocentij III.

sterium jam translati, & emissa profesiōne, postquam de infirmitatibus convaluerint, habitum religionis abjicant, & ad propria revertantur. Contingit etiam tales in propriis domibus remanere, cū monachi per eos, dum vivunt, nolint sua monasteria p̄gravari. Sani etiam sic absque probatione recepti, retro aspicientes, matrimonia contrahunt, rejecto habitu regulari. De quibus, si habitum religionis assumant ante unius anni probationem, vel temporis competentis, utrum facta professione à talibus vel omissa, monachi debeant reputari, & si conjugatus converti desiderans sit recipiendus in monachum, nisi uxor perpetuam continentiam re promittat, certificari à sede apostolica postulasti. Nos ergo quæstionibus tuis taliter ex ordine respondemus, quod licet tempus probationis à sanctis patribus sit indulatum, non solum in favorem conversi, sed etiam monasterij, ut & ille asperitates istius, & istud mores illius valeat experiri; (quod * utrinque diligenter est observandum, præsertim cū ab urro que de reliquo certa notitia non habetur) quia tamen ante tempus probationis regulariter præfinitum, is qui converti desiderat, habitum recipit, & professionem emittit, Abbe per se vel per alium professionem recipiente monasticam, & monachalem habitum concedente, uterque renuntiare videtur ei quod pro se noscitur introductum. Ideo que obligatur quidem per professionem emissam pariter & acceptam ad observantiam regularem, & verè monachus est censendus: quia multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent firmatatem. Prohibendum est tamen Abbatis ne passim ante tempus probationis quoslibet ad professionem recipient, & si contra formam præscriptam quoslibet indiscretè receperint, animadversione sunt debita corrigendi, cū in subsidium fragilitatis humanæ spatiū probationis sit regulariter institutum. Cū autem vir & uxor una caro sint per copulam conjugalem effecti, nec una pars converti possit ad Dominum, & altera in seculo remanere, profectò non est alter conjugum recipiendus ad observantiam regularem, nisi reliquus perpetuam continentiam re promittat, neque vitam quoque debet mutare, nisi forte ejus sit ætatis, ut sine suspicione incon-

tinentiæ valeat remanere. Datum Late-
rani IX. Kal. Decembris.

SIPONTINO ARCHIEPISCOPO.

Epist. 456.
De persona eius
qui falsas literas
utinam.
Cap. Accedens.
De criminis
falsi.

A Ccedens ad præsentiam nostram P. Presbyter lator præsentium sua nobis insinuatione monstravit quod cū olim missus ab Archipresbytero & Clericis de Casali novo pro quibusdam causis, super quibus à te se fatebantur indebet p̄gravari, ad nostram præsentiam accelliser, nec posset, pro eo quod tunc temporis nos eramus infirmitate gravati, suas literas obtainere, moram apud sedem apost. faciendo, post paucos dies contigit ipsum etiam infirmari. Dum autem esset in lecto ægritudinis constitutus, accessit ad eum quidam Clericus de Casali novo, Azon mine, qui tunc temporis morabatur in Vrbe, & sub spe dilectionis & gratiae promisit ei se quas à nobis postulabat literas obrenturum: qui credidit verbo ejus, & expensas tribuit quas pro literis ipsis s' expensurum præfatus Clericus proponebat. Tandem ad eum quasdam commissionis literas ad venerabilem fratre nostrum Tranensem Archiepiscopum & dilectum filium Abbatem de Coronata portauit: quas prædictus Presbyter credens veras esse, & de nostra conscientia emanasse, ad judices detulit delegatos. Cumque in præsentia ipsorum judicum tu literas argueres falsitatis, & sacerdos ipse & alij Clerici de Casali novo eas veras esse proponerent, tu easdem literas sub sigillo prædictorum judicum ad nostram præsentiam direxisti: quas utique falsas esse deprehendimus manifestè, pro quo tibi per scripta nostra mandavimus ut illum qui præfatas literas impetravit, officio beneficio que suspensum, ad nostram præsentiam diriges puniendum. Verum cū sacerdotem prædictum sua redderet conscientia innocentem, postquam tu eum officio & beneficio suspendisti, ad nostram festinanter accessit præsentiam, ad suam innocentiam excusandam. Sed cū apud nos moram faceret longiorem, & à nobis misericordiam postularet, præfata falsitatis omnimodam ignorantiam proponendo, ipsum tamen cum literis nostris ad te duximus remittendum, ut misericordiam inveniat quam precatur. Inde est quod fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus quatenus si præfata

*In Tertias Col-
les, utrumque

literæ, in quibus fuit falsitas deprehensa, formam de simplici justitia habuerunt, cùm præsumi non debeat quòd pro talibus literis, quæ de facili possunt à qui- buslibet obtineri, fraudem commiserit falsitatis, ab ipso Presbytero canonica purgatione recepta quòd conscius non fuerit falsitatis, nec literis illis usus est postquam eas falsas esse cognovit, tu ei diuinæ pietatis intuitu officium beneficiūque restitutas, & eum super hoc ulterius non molestes: quia sicut justum est excessus corrigerē delinquentium, sic iniquum meritō reputatur, si severitas poenæ puniat innocentēs.

*ABBATI ET CONVENTVI
sancti Edmandi.*

Epist. 457.
De consecra-
tione Ecclesie
ipsorum.

CVM Ecclesia vestra Ecclesia Ro-
mana sit filia specialis, & ad eam
nullo pertineat mediante, vos (unde
prudentiam vestram dignis laudibus
commendamus) ad apostolicam sedem
tanquam ad caput vestrum in arduis duci-
tis recurrentum. Et quia Ecclesia ipsa
nondum munus dedicationis accepit, su-
per dedicatione ipsius à nobis licentiam
postulaisti. Nos ergo petitionibus ve-
stris grato concurrentes assensu, postu-
latam licentiam indulgemus; conces-
sentes etiam quòd crucis & sanctorum
imagines, quæ præ magnitudine sui de
ipso Ecclesia non possent absque dispen-
dio amoveri, in suis locis valeant re-
manere. Episcopis autem, quos ad dedi-
cationem duxeritis invitandos, per apo-
stolica scripta mandamus ut ad voca-
tionem vestram veniant, quemadmodum
postulaisti. Datum Laterani Kal.
Decembri.

*CLERICIS SANCTI PAVLI
de Castro Cervarij.*

Epist. 458.
Confirmatio cen-
tricam pro il-
lis lata circa
Julij festi.

EA quæ auctoritate apostolica ra-
tione prævia statuuntur, ne in re-
cidiva questionis scrupulum relabantur,
apostolico sunt munimine fulcien-
da. Ex literis siquidem dilecti filii no-
stri R. tituli sanctorum Marcellini & Pe-
tri Presbyteri Car. Casin. Abbatis nuper
aceperimus quòd cùm olim causam quæ
vertebatur inter vos & Ecclesiam san-
cta Mariæ de Castro Cervarij super ba-
ptismate, de communi assensu partium
ipsi duxerimus committendam, idem
visis utriusque partis rationibus & ple-
nius intellectis, pro vobis sententiam

promulgavit; Clericis prædictæ Eccle-
siae sanctæ Mariæ firmiter inhibens ne
vobis molestiam vel gravamen inferrent
quòd minùs pueros parochianorum ve-
strorum liberè sic baptizare possetis,
cùm vestra Ecclesia ipsi Ecclesia sanctæ
Mariæ in nullo subjaceat, & iidem paro-
chiani in Ecclesia vestra cetera percipi-
ant ecclesiastica sacramenta. Nos igi-
tur quod à prædicto Abbe factum est
ratum habentes, sententiam ipsam, si-
cū rationabiliter lata est, vel legitimæ
appellationis remedio sublevata, au-
toritate apostolica confirmamus, & præ-
sentis scripti pagina communimus. De-
cernimus ergo ut nulli &c. Datum Late-
rani V. Kal. Decembri.

*PRIORI ET CONVENTVI
Ecclesie Dunelmen.*

IS est Prælatorum ad subditos & sub-
ditorum ad Prælatos suos dilectionis & concordiae servandus affectus, ut
nec illi qui præsunt, subjectorum jura
perturbent, nec qui subsunt, justitiæ
derogent præsidentium, vel attentent
præter eorum assensum quæ cum ipso-
rum tenentur conscientia perractare.
Sanè cùm venerabilis frater noster P.
Dunelmen. Episcopus inter vos vices
gerat Abbatis, nec ei nocere debeat
quòd episcopali præminet dignitate, in
his ejus est à vobis requirendus assen-
sus quæ præter Abbatis assensum vo-
bis agere non licet. Eapropter au-
toritate præsentium districtiū inhibe-
mus ne præter conniventiam ejus vi-
cem super hoc gerentis Abbatis Ec-
clesias assignare, alienare possessiones,
vel confidere super alienationibus in-
strumenta, Prioris instituere vel mi-
nistros, & alia quælibet in quibus Ab-
batis esset necessarius assensus, atten-
tare aliquatenus præsumatis contra con-
suetudinem regularem. Quòd si præ-
ter consensum ipsius & inhibitionem
præsentem aliquid (quod non credi-
mus) super his duxeritis præsumendum,
id irritum decernimus penitus & ina-
ne. Nulli ergo &c. nostræ inhibitionis
&c. Dat. Laterani VI. Idus Decembri.

Epist. 459.
Ut majoribus
in rebus Abba-
tis semper con-
sensum requi-
rant.

*PHILIPPO DVNELMEN.
Episcopo.*

VT negligentium quorundam desi-
diam prædecessores nostri Roma-
ni Pontifices ad solicitudinem excita-

Epist. 460.
Quo tempore
conferenda sint
beneficia, &

L i i j